





POSITIONUM MISCELLANEARUM
OGDOADES SEDECIM

De Quibus

D. O. M. A.

IN CONSESSU PUBLICO A. 14
CADEMIÆ CANDIDATI MAGISTE-
rii Philosophici

XVI,

SUO QUISQUE ORDINE ET LOCO QUO
eum fors collocavit,

Respondebunt XII. die Augusti

PRÆSIDE

JOANNE COMBACHIO WET-
TERANO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE
ordinario.



MARPURGI
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,
Anno M D C X VII.

POSITIONUM MISCELLANEARUM
ORDINIS SEDICIM

IN COMPLESSU BIBLIOTHECÆ
ACADEMIÆ CANDIDATI MAGISTRI

XVI
SIO QUORUM ORDINE ET LOCO SIO

JOHANNES COMBACHIO WET
LEIANO PHILOSOPHIE PROFESSORE

M. 1791
In Ordine Republicæ Hannoveranæ
anno M. D. CMLXCI





CLASSIS PRIMA.

Daniel Sachsius Halberstadiensis Saxo.

I.



Philosophia ratione & experientia nititur: Theologia scriptura sola.

2. *Hinc communiter Philosophiam alijs facultatibus esse latiore[m] judicant Philosophi. Nos secus: censemus enim Philosophiam sub Theologia comprehendendi.*

3. *Et judicamus non posse esse bonum Philosophum, nisi qui in Theologia fuerit exercitatus.*

4. *Ergone inutilis planè ea philosophorum doctrina de Deo, quã de natura petunt: Utilis omninò: sed minus sufficiens.*

5. *Ita & doctrina quæ de moribus in Ethicis præscribitur usu suo non caret: eadem tamen in Decalogo perfectius continetur.*

6. *Hinc & politica nulla felix & beata esse potest, nisi in qua vera de Deo doctrina sonat.*

7. *Ergone legibus forensibus Mosaicis Magistratus Politicus est obstrictus? Neg. Ita tamen sentio: Ideam rei publ. in nulla alia magis esse posse conspicuam, quàm quæ secundùm harum legum institutum regatur.*

8. *Hinc mihi valde placet assertio Job. Fr. Pici Mirandule: humanam Philosophiam non esse necessariam Christiano: quanquam utilis esse potest.*

CLASSIS II.

Georgius à Lettovv in Plötzke, Eques Pomeranus.

1. *Legis non dicitur munus hoc esse volunt, ut caveat, ne heterogenea*

A 2

nea

nea in disciplinis tradantur: hinc enim Legem justitiae vocant.

2. Inde natum est illud Aristotelis: ἢ δὲ περὶ τοῦ βαίνειν εἰς ἄλλο γένος, non licet transire de genere in genus. Hinc quaeritur an peccent contra hanc legem, qui in rebus Theologicis, Philosophiā utuntur? Neg.

3. Enatum hinc aliud est dubium: an dentur quaestiones mixtae hoc est, partim Theologicae, partim Philosophicae? Si terminos respicias, defendi aliquaratione potest.

4. Et quaeritur: in disciplinis subalternis, quando subalternata utitur principijs subalternantis, anne violetur ea regula: non licet transire de genere in genus? Neg. Subalterna enim non faciunt numerum.

5. Recepta est Justitiae definitio: quod sit constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi: quaeritur an in ullum hominem particularem cadat? Neg.

6. Justitiam in Universalem & Particularem distinguunt: illa legi adequata est: haec in ijs bonis in quibus fortuna prosperitas & adversitas consistit versatur. Quaeritur ergo an faciant species oppositas? Neg.

7. Justitia nobilissima virtus est, ut quae omnes virtutes in se complectatur: quaeritur ergo an prudentia etiam sit domina? Neg.

8. Justitiae fundamentum natura est: sed natura non videtur nobilem à plebeio distinguere: ergone distinctio graduum respectu nobilium & ignobilium in civitate non admittenda? Omnino.

CLASSIS III.

Aaron Gruseman Bromskirchenensis Hessus.

1. Scientia una aliā dicitur esse perfectior è collatione certitudinis & evidentiae principiorum, & perfectione subiecti. Certum verò quòd subiectum Theologiae sit nobilius subiecto Philosophiae.

2. Annè verò certitudo & evidentia principiorum Philosophicorum

corum

corum major, quàm Theologicorum, dubium quibusdam esse potest, qui scripturam dicunt esse obscuram, minusq; perspicuam.

3. De principijs Philosophicis constat, quòd naturã nota sint, ut in dubium vocari non possint, unde & dignitates nominantur: Et ejusmodi evidentia homini animali non apparet in scripturis. Ita tamen perspicua est scriptura, ut cuiusvis attentè eam legenti sit utilis ad percipienda omnia ea, quæ ad salutem sunt necessaria.

4. Id porrò dubium est de principijs Philosophicis, quia omnibus sunt nota, annè dentur quedam species homini connate, ut Platonici voluere: Nobis sententia Aristotelis placet, qui docet, Intellectum esse similem tabulæ rasæ, in qua nihil sit descriptum actu, scribi omnia possint.

5. Sed nec omnium principiorum eadem est evidentia: major in Mathematicis est, quàm in Physicis: hinc Mathesis Physica est facilior.

6. In veteres Philosophos gravissimè invehitur Aristoteles: quorum alij constituere unum principium immobile infinitum: alij hoc ipsum unum immobile finitum: alij unum mobile. Alij plura finita vel duo, vel quatuor, vel decem. Alij plura infinita. Queritur anne vel ipsi inter se sint contrarij, vel à veritate alieni? Non facile dixerim.

7. Principia à Chymicis ponuntur Sal, Sulphur, & Mercurius: Rectè.

8. An v. ea doctrina Peripateticorum instituta repugnat: qui Formam & Materiam, itemq; elementa pro principijs posuerunt? Ne.

CLASSIS IV.

Johannes Vulckmannus Cassellanus Hassus.

1. Autoritatis in Philosophia usus non usq; adeò magnus est, si ratio obstet: at verò sacrarum literarum autoritas, quacunq; ratione superior est.

2. Ergone omnis planè ratio humana exulare debet, à contro-

versis Theologicis, ut si adversarius etiam sine verbo quicquam nos credere jubeat, assensum illicò præbere debeamus: ut quòd in cæna vel ablata, vel manente etiam substantia panis Christi corpus ita secundum substantiam sit omnipræsens, ut etiã ore comedatur? At verò & Christus ad sensuum testimonium provocat.

3. Scientiarum humanarum imperfectio summa est, indeq; tot in Philosophia opiniones enatae sunt. Ergone ex hæresium diversitate sacrarum etiam literarum imperfectiorem docebimus, ut propter ea ad Traditiones non scriptas, quæ nullæ sunt, sit confugiendū? Hanc hæreticorum esse præscriptionem docet Tertullianus.

4. Autoritas Principis & Magistratus ea est, ut leges ferre possit, & si sint generales vel ambiguae addere possit interpretationem, quæ valeat propter officij seu loci auctoritatem.

5. Queritur ergo an Pontifex eadem auctoritate sit præditus, ut ab ejus auctoritate interpretatio scripturæ & judicium controversiarum absolutè dependeat? Agnoscat tritum illud: Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

6. Deus evidentissimis miraculis voluit confirmare doctrinam verbi sui, etq; auctoritatem conciliare apud infideles: Ergo hinc manifestum, quòd miracula edere sit virtus solius Dei omnipotentis.

7. Moses quum coram Pharaone ederet miracula, percussit aquam fluminis, & versa est aqua in sanguinem in tota terra Aegypti: queritur ergo unde aquam habuerint malefici, qui similiter incantationibus suis fecerunt?

8. Diabolus & oracula ne quidem verum dicendo fidem merentur.

CLASSIS V.

Mauritius Gudenus Cassellanus Hassus.

1. Philosophiam dicunt esse Theoricam vel Practicam ratione finis

nis & obiecti: illa enim in re necessaria quarit veritatem: hac in re
contingenti actionem.

2. Anne verò eodem modo Theologiam dicemus esse vel Pra-
cticam, vel Theoricam? Tamen si partes eius tale quid sibi vendicant,
Theoretica tamen simpliciter est.

3. Minus verò rectè Medicinæ partes Theoricam aliam faciunt,
aliam Practicam: quod enim in Medicina Theoricum est, physicum
totum est, juxta illud: Ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus.

4. Arithmeticam esse partem Matheseos puram receptum est:
Mathesin esse disciplinam speculativam itidem constat: at verò Pra-
cticam esse Arithmeticam, quæ hodie utuntur mercatores, negari nõ
potest. Eadem est ratio in Astrologia & Musica. Anne ergo duplex A-
rithmetica, Astrologia, Musica? Ita asserit Zabarella 1. post. cont. 100.

5. Anne v. digniores disciplina Theorica, an v. Practica? Theo-
ricis primas communiter tribuere solent.

6. Nec tamen in republ. sapientem facile prætulerim viro pru-
denti.

7. Verum & hoc: Aristotelem non tantum Metaphysicam dice-
re Architectonicam, sed & civilem: Principatus ergo quidam aequè
in civilibus ac in speculativis disciplinis.

8. Hoc jure fretus Plato rectè potuit poëtas è republ. ejicere.

CLASSIS VI.

Wilhelmus Lohrmannus Milsungensis Hassus.

1. Speculatio ferè jucundior nulla est, quàm quæ in naturalibus
est, in his enim potentia, sapientia & bonitas Dei sua natura invisibi-
lis visibilem, sese nobis quadantenus exhibet.

2. Compages rerum naturalium mundus est: inde dubitant, a-
lij quidem an sit quid purè aggregatum, alij an sit animatus: assertio
hujus tollit dubitationem illius, nos animatum dicimus.

4. Ho-

4. Hominem qui purgōis ὅπου dicunt, verè dicunt: idè ὅ, sua in se completitur astra, à quorum motu sanitas morbiq, dependens.

5. Et hæc propriè hominis Astrologia est proportionata ad Astrologiam cæli, sed non immediatè ab ipsa dependens.

6. itaq, Astrologi divinatio quoad actiones humanas nulla est: sed ea tamen locum habet in naturalibus.

7. Ergone falsum, quod multi sint morbi astrales: Nequaquam.

8. Musicam quandam mundanam, quæ ex omnium partium inter se harmonia constet, dari quis neget? annè verò justa argumentatio eam non audiri, quia ab ineunte ætate hujus audienda assuefacti fuerimus? Nego.

CLASSIS VII.

Christophorus Keslerus Cassellanus.

1. Esse cælum idè, à terra diversum docere poterat tritum illud: Cælum & terram miscere. Ita verò agunt, qui Christum ad cælos quidem ascendisse ajunt: sed corpore à terra abesse negant.

2. Orbes cælestes realiter diversos in cælo dari recepta fuit sententia: Nobis probabilior videtur esse negativa.

3. Inde tribuimus motum non tam orbibus quàm stellis, secundum quas orbes concipimus.

4. Inde cadit assistentia intelligentiarum, per quam ajunt moveri orbes: quòd si enim non sunt orbes, ne quidem erit assistentia.

5. Inde cadit questio Scaligeri, an motus ille cæli sit animatus & voluntarius: quia non potest participare animam & voluntatem ab intelligentia, quæ cælo nulla assistit.

6. Inde cadit, quomodo motus Cæli sit naturalis: respondent enim esse naturalem passivè, quia moveatur ab intelligentia secundum motum consentaneum naturæ cæli. Nos enim dicimus esse naturalem activè, quia moveatur à principio interno.

7. Inde

7. Inde cadit motus raptus, quo dicunt superiorem spheram secum rapere inferiorem: quia enim orbis realis nō est, non potest secum inferiorem rapere.

8. Inde cadit quaestio, an sint motus contrarij in cœlo: unius enim stella non sunt duo vel plures motus, sed tantum unus.

CLASSIS VIII.

Johannes Crollius Marpurgenfis Hassus.

1. Elementis duplicem finem communiter assignamus: constituere mundum, & ex se gignere mistum. De priori dubium non est: posterius, si de elementis, qualia quidem apud Aristotelem describuntur, dicatur, quòd immediatè id ipsum præstent dubio non caret.

2. De eorum numero disputant: quidam quaternarium negant eo fundamento, quòd ejus in creatione non fiat mentio? Insufficiens argumentum.

3. Probant communiter hunc numerum è quatuor qualitatum combinatione: minus sufficienter. Nam prout ipsi humidum definiunt, quidam concluderunt ignem non siccum esse, sed humidum.

4. De elementorum contrarietate disputant, ea adversari non ratione substantia, sed per accidens mediantibus contrarijs qualitibus. Sed valdè dubito. Nam calida aqua aequè ignem extinguit atq; frigida.

5. E collisione lapidum ignem produci sensus testatur: ergone ignis in silice? Neg.

6. Triplicem aëris regionem ponunt: mediam frigidam esse dicunt, ut generari in ea meteoia possint: frigidam esse nego.

7. Fontes hyeme esse calidiores constat: & fontes in frigidari per immissionem radiorum solis certum est. Ergone actio contraria à contrario? Neg.

8. Terram esse rotundam docet Astronomus: idem puncti rationem habere asserit. Non malè. B

CLASSIS IX.

David Elich Marpurgensis Hassus.

1. Temperamentum est qualitas ex mutua actione & passione contrariarum qualitatuum nata. Itaq; non ipsa mixti forma est: sed cum ea proxime connexa, ut hinc ignota circumscribi possit.

2. Temperamentum ad pondus aliud faciunt, aliud ad justitiam. Scal. in 2. de plant. p. 357. negat aequale illud ad pondus inter philosophos posse vel recipi, vel admitti: ignem enim pondus habere nullū. Sed non è gravitate & levitate, verum ex intensione & remissione qualitatuum ad eundem gradum deductarum temperamentum hoc metiri voluerunt.

3. Hoc temperamentum mensura est accidentium inseparabilium: hac enim à temperamento, ut proprietates à forma dependent.

4. Ex hoc fundamento Physiognomia & Chiromantia dependet: Itaq; de naturali membrorum constitutione iudicium ex ijs aliquod sumi potest: sed de vite ac mortis diversitate, alijsq; actionibus humanis ex his principijs regula peti non potest.

5. E temperamento etiam ingenij & memoriae facilitas & difficultas quadantenus nascitur: hinc in manu ingenium cujusq; ferè conspicuum est.

6. Hinc rectè disputavit Aristoteles probl. 1. s. 30. Homines qui ingenio claruerunt, vel in studiis Philosophiae, vel in Republic. administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis melancholicos fuisse.

7. Mores etiam sequi temperamentum receptum est: Rectè. Inde alij ad virtutes vel ad vitia magis inclinant.

8. Vinum esse lac senum: pueris noxium docent sapientes. Temperamenti diversitas utriusq; veritatem probat.

CLASSIS X.

Thomas Crugius Rotenbergensis Hassus.

1. Doctrinae qua de Meteoris hodiè circumfertur ex Aristotele falsitas

falsitas multis documentis à multis probata est; nec enim ullius Meteorisationem sufficienter exponere potest.

2. Quis credat Cometas, siquidem eorum materia è terris sursum vehitur, in aethera usq; elevari, tantam molem representare? siquidem accenditur, tanto tempore durare posse?

3. Quis credat fontes & flumina è vaporibus nasci, qui montes sufficere possent tanta copia aquarum? Ideoq; nos è mari potius eorū originem derivabimus.

4. Quis credat grandines è frigore aëris tempore aestivo posse concreescere: raro tempore hyberno?

5. Meteora verò ab astris dependent; queritur ergo an possit fieri certa predictio astrologica de ventis, pluvijs, nive &c. ita ut hæc, cras pluet, non sit dicenda contingens, sed necessaria? Contingens est.

6. De salitudine maris queritur, an ejus substantiam sequatur, an v. ex accidenti conveniat? Si verum est aquam marinam in fundo esse dulcem, ab externa causa oriri judicari.

7. De fluxu & refluxu maris disputant, an sequatur specialem naturam maris, an verò ad astra rectè referatur? Luna cursum sequi arbitror.

8. Nocte omnia facilius audiri, quàm tempore diurno notum est: quæ sit causa queritur? Evaporatio de die fortior est, quàm nocte.

CLASSIS XI.

Johannes Stutzmannus Sontranus Hassus.

1. Metallorum originem ad Sulphur & Mercurium referunt; rectè. Sed & rectè Rogerius, sulphur nostrum non est vulgi.

2. Quod si ergo commune est omnium metallorum principium, anne natura & specie invicem differunt? Dissentiunt inter se Philosophi. Quidam ita sentiunt, quemadmodum leprosus & epilepticus non differt substantia ab homine sano, ita metalla impura ab impuris. Non malè meo iudicio.

3. Itaq;

3. Itaq; metallorum transmutatio impossibilis non est.
4. Nec ergo impossibile aurum fieri potabile.
5. Quaedam metalla pati commixtionem, quadam eam non ferre, per experientiam constat. Quarunt verò Politici, an ea commixtio metallorum sit utilis? Negativa potior est.
6. Chymicas preparationes ad natura penetrabilia investiganda plurimum conferre nemo negabit: id verò dubium est, an corporibus humanis curandis utiliter adhiberi possint? Quis neget, quod toties probatum est.
7. Metalla sunt sterilia, dicunt Scholastici. Nummus inventus commutationis gratia. Arist. 1. Pol. c. 7. Ergo usura omnibus modis illicita. Quiritur an illatio sit recta? N.
8. Ergone mercatura licita? Aff.

CLASSIS XII.

Balthasar Schrauff Heckershausensis
Hassus.

1. Res nobilissima anima est: cujus originem nescimus, & magna è parte terminum ignoramus. Quis enim docuit finem animarum brutorum?
2. Animam triplicem faciunt: Vegetativam, sensitivam & rationalem: & triplex est in diverso genere subjectorum: queritur v. an triplex ea facultas in eandem animam possit cadere? A.
3. Vegetativa rationis particeps nullo modo est: Itaq; nec à virtute regi potest. In sensitivam v. & rationalem virtus cadit.
4. Facultas irascibilis fortitudine regitur: temperantiâ concupiscibilis. Illa circa terribilia est, haec circa voluptatum delectationes versatur.
5. Quari solet, an cum fortitudine pugnet pestis, vel etiam persecutionum tempore fugere? Neg.

6. Virtus

6. Virtus omnis in electione posita: quaritur ergò an martyres, qui tyrannidis vi ad mortem rapiuntur, fortes dicendi? Aff.

7. Temperantia non in cibo tantùm & potu est, sed & in rebus Venereis. Hic castitas dicitur: ea an in cœlibatu tantùm consistat quaritur? Triplex est: Virginalis, Conjugalis & Vidualis.

8. Stultum ergo votum castitatis & temerarium: melius enim nubere quàm uri. Nec tamen negamus Virginitatem posse ceteris paribus conjugio præferri.

CLASSIS XIII.

Henricus Petrus Cassellanus Hassus.

1. Sensum actione simul & passione perfici constat: consistit enim in receptione speciei & iudicio de objecto. Sed hinc quaritur an organo etiam vis quaedam activa assignari possit? Aff.

2. Itaq; falsum, quòd anima Vegetativa & sensitiva aliquam proprietatem suam corpori communicet, quâ mediante fiat actio: nã ut actio ipsa, ita facultas seu potentia agendi non anima solius est, sed compositi.

3. Quinq; sensus exteriores esse communis est sententia: Scaliger sextum etiam sensum addit, nos communem tuebimur.

4. Certant inter se visus & auditus de nobilitate: quoad naturalia visui primas tribuimus.

5. An visio fiat per emissionem, an v. per receptionem anxie sæpe fuit disputatum: nos partim per emissionem, partim per receptionem fieri asserimus.

6. Sensus interiores communiter tres statuunt: Sensum communem, phantasiam & memoriam: nobiles etiam Philosophi addiderunt Aestimativam & Cogitativam, inducti nobilissimis quorundam animantium operationibus ad intellectum proximè accedentibus. Nos communem defendimus.

7. De memoria artificiali sapius quaesitum memini: posse arte memoriam excitari experientia docet. Singulari aliquo cum fructu hanc artem esse conjunctam nego.

8. Respiratio an sit actio naturalis, an verò animalis quaeritur? Animalis est.

CLASSIS XIV.

Hermannus Magirus Sontranus

Hassus.

1. Animal quodcumq; praeter animam corpus organicum habeat necesse est, ut ijs mediantibus vires & facultates suas exercere possit.

2. Partes principales numerantur Epar, Cor, Cerebrum: sed hic disputatio gravis, an cor, an v. cerebrum primas teneat? Pro cerebro disputabimus.

3. Hinc quaeritur an sapientiam & prudentiam è capitis magnitudine metiri possimus? Aff.

4. An cerebrum sit frigidissimum membrum: & expers omnis sensus & tactus? Utrumq; aff.

5. Mulieres costarum numero viros vincere ex eo quidam asserere ausi sunt, quia una è viri latere sit exempta: Stultè.

6. Sed hinc dubium, quia Deus tulit unam de costis Adami, id quae ratione potuerit fieri: quod si enim fuit de integritate Adami, imperfectus fuit Adamus post eam ablatam in statu integritatis, si superflua monstrum fuit. Perfectus omninò erat. Vide Lyram in Gen. 2.

7. Epatipotiùs quàm cordi sanguificationem tribuendam esse statuimus: an verò parenchymatis, an verò venarum epatis hoc sit munus, non eadem omnium est sententia? Venis nos idipsam tribuimus.

8. Aristotelis questio est probl. 5. f. 1. quamobrem qui vel cibo vitioso

rioso vescuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumescere so-
leant? Nos à crudis humoribus hoc vitium nasci asserimus.

CLASSIS XV.

Henricus Knobelius Gudensbergensis Hassus.

1. Ad speciei conservationem in animalibus sexus datus est:
quaritur verò an sexus novam speciem faciat, ut quidam mulieres
esse homines stultè negarunt. N.

Inde falsum quoq; fœminam esse vel monstrum, vel animal, ut
alij loquuntur, occasionatum.

2. Uterq; verò sexus semen communicat ad totius animalis sub-
stantiam: perfectius tamen hoc quod maris est, quemadmodum &
mas fœmina est perfectior.

3. Id tamen dubium an fœmina mare sit calidior? N.

4. Monstra quandoq; generantur, eaq; à natura deficiente
potius quàm efficiente esse communis est sententia. De his quæsi-
tum tempore Alberti, an ad Cœli influentiam reduci possint? Ne-
go.

5. Anne verò Diabolis etiam & Spiritibus conveniat vis gene-
randi dubitant? Nego.

6. Commune Logicorum Enthymema est: Lac habet, Ergo pe-
perit aut saltem gravida est: quaritur an verum? Neg. nam & in
puellis aliquando lac generari experientia docet, & suffragatur ra-
tio.

7. Tempus fœtus in utero matris certum & determinatum non
est. Astrologi moram eam ad astra referunt: & in specie quòd Sa-
turnus minus sit benevolus, beneficus Jupiter octimestrem fœtum
vitalem esse negant, nono mense esse vitalem asserunt.

Quid ad hæc Saturnus vel Jupiter? Astrologia interior hoc tem-
pus definit.

8. Imaginativa fœtus Cælum est: inde lineamentum aperit. Hinc
multa speciales impressiones à matre in fœtum derivantur.

Classis

CLASSIS XVI.

Bartholomæus Funckius Neukirchensis Hassus.

1. *Hominem factum esse à Deo ad imaginem & similitudinem suam sacra docent literæ.*

2. *Eam potissimum fuisse in Sanctitate, Justitia & Veritate ex eo constat: quia ad id est renovatio quod amisimus. Propterea v. habuisse conjunctam immortalitatem & dominium in omnia negari non potest.*

3. *Hinc queritur, an imago illa fuerit homini naturalis & essentialis, ita ut fuerit donum naturæ, an v. potius gratiæ? post. aff.*

4. *Hominem constitutum in statu integritatis non fuisse moriturum docet, quod pœna peccati mors sit: an n. v. propterea nullo respectu mortalis dici potuerit quidam dubitant? Nos aff.*

5. *Hebræorum sermonem primis parentibus fuisse naturalem, non consuetudine acquisitum, argumento est, quia non habuere aliū à quo discerent: sed hodie loquela artis opus est, non naturæ.*

6. *Et tamen verum, quod docet Aristoteles: Sermonem homini esse naturalem, indeq. rectè probat, hominem naturæ esse animal sociabile seu politicum.*

7. *Et tamen verè disputat, voces non naturæ, sed ex instituto significare.*

8. *Hominis beatitudo duplex: Civilis & gratiæ: Illa est propter hanc: nec tamen illa suis viribus assequitur hanc. Nec enim est proportio inter illam & hanc. Ad hanc tendimus, hæc scopus & finis vitæ est: Christus dux, Christus via, Christus vitæ vera.*

REGI SECULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SECU-
LORUM. AMEN.

FINIS.

X 2615938

WDM







B.I.G.

Farbkarte #13

LLANEARUM
DECIM

1677, 1.

A.

UBLICO A. 14
TI MAGISTE.

ici

ET LOCO QUO
avit,

Augusti

ACHIO WET,
Æ PROFESSORE



Hutvelckeri,
XVII.

